

plur; uterque omnem humanam laudem prætergressus; altissima, inquam, duo illa ingenia, qua profus nihil, quod Menti humana sit pervium, latuisse putare juvat, toties pronunciarint, hujusmodi Quaestio quæ solucioem humani Intellectus captum omnino excedere, profundamque hanc esse Sapientia & Scientia Dei altitudinem; consequens profecto est, non eam nobis dirimendam Controversiam viam arripendam esse, quam Molina audacius percontavit; quem certe iis doctorem, ac oculatorem Mysteriorum Revelatorem existisse, nemo dixerit unquam, aut somnari; ut nimirum Ingenii sui acuminè ea pervidisset, quæ Divinos illos Homines absque dubitatione laeterunt. Quare malumus nos cum Apostolo, & Augustino impervia Mytheria tacite venerari, quam cum Molina ejusque Affectibus prophanas novitates temere consecrari.

Hæc sunt, Viri Theologi, quæ adversus Janfenium, quoad ejus quinque à S. SEDE proscriptas Propositiones, proferre placuit: ut quisque intelligat, quam iuste, quam merito, quam necessario S. ROMANA SEDES, Ecclesiarum omnium Magistra, falli & fallere nescia, nedum Jure, verum & Facto inspectu, eandem censura lata perstrinxerit, atque confoderit, seu nedum, quod æ secundum sese, absolute, & ut verba sonant, erroneæ sint, & a Catholico Ecclesia sensu penitus alienæ; sed ulterius, quod in sensu profus hæretico à Janfenio ipso, quem absolvere ejus Partiaii nituntur, assertæ fuerint, atque conceptæ.

Nam autem Yprensis Episcopus vere, proprie, & stricto sensu hæreticus dicendus veniat, non ita ego de facili affirmaverim, uti nonnulli minus forte cauti Theologi ore rotundo pronunciarè non ambigunt. Aliud etenim est, Janfenium Propositiones suas, quæ, ut hæreticæ, ab Ecclesia proscriptæ sunt, in sensu profus hæretico docuisse, aut etiam propugnasse, quod hucusque luculenter probavimus; aliud, quod id unum vere, & stricto jure eundem hæreticum existisse. Primum ex sola ignorantia, vel inconsiderantia proficisci potuit, qua præjudiciis suis occupatus ea non æque perpenderit, quæ sacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum à necessum Definitionibus, vel Scripturæ, & Traditionis auctoritate sancita sunt, vel revelata. Hic porro duntaxat dicitur Error in Fide: Alterum vero, præter Errorem, pertinaciam; ac pervicaciam involvere necesse est; qua videlicet Homo errans Errorem suum detectum jam, proscriptumque vel ejurare detrectat, vel mordicus propugnare adhuc contendit. Clarius dicam: ut quis merito, & ad Jure apicem hæreticus sit nuncupandus, non satis profecto est, si Errores in Fide aliquos quomodocumque amplexus aliquando fuerit, foverit, vel etiam docuerit, Scripturæ tradiderit; sed ulterius requiritur, ut post latum expresse, & data opera de iis Ecclesie Judicium, pronunciatamque ex Jure formalis damnationem, eosdem ipsos per summam audaciam pertinaciter propugnavit, vel saltem illis animo constanter adhæserit, Ecclesiasticis Definitionibus temere obstans, atque reluctans. Hoc porro de Yprensi Anestite affirmare, salva veritate, neminem posse arbitror. Is quippe (ut in hujus Disputationis limine præmonimus) præmatura morte subreptus, quo non-

dum tempore suæ illæ de Gratia Christi Lucubrations typis vulgata fuerat, Ecclesie Judicio refractarius esse non potuit, cum nec illud audierit, Contigit enimvero quinque illarum Propositionum damnatio pluribus ab ejus obitu annis; postquam scilicet illius scripta per Capellanum suum, ut ipsemet Testamento legaverat, publici Juris facta fuere; imo postquam editus Liber, & in Gallias delatus, Masarino Cardinali curante, examen subiit, excerptaque ex illo Propositiones Summi Pontificis Judicio fuere submissæ.

Neque vero Pontificia Damnationi reluctantem Janfenium exirurum aliquando, si diutius vixisset, vel si ea, dum viveret, contigisset, æstimare par est: quin illum religiose pariturum, & quæ scripserat ejuratum, ex iis, quæ in Testamento visuntur, prudens quisque judicare potest, ac etiam debet. Clausulam etenim, ut ab initio ajebam, Testamento ipsi inseruit, qua totum codicem suum S. ROMANÆ SEDIS judicio submittebat, id omne se expunclurum, correcturumve protestatus, quod illi expungere, vel emendare libuisset: quæ quidem loquendi formula tam procul esse ab omni obtinationis, & pertinaciæ suspitione videntur, ut potius Filii ECCLESIAE Matri obsequantissimi speciem præferant. Quapropter improbanda plane, ac etiam acriter reprehendenda venit impudens quorundam dicacitas, qui ut sese supra cæteros Ecclesiasticis Definitionibus morem gerere ambitiosius ostentent, frequentius nihil ubique locorum in ore habent, quam invidiosam illam, & ultra, quam par sit, Yprensi Episcopo contumeliosam cum Lutero, Calvino, cæterisque hujus furoris Tepebrionibus comparationem, ob id unum, quod Propositiones aliquas ille scripserit, & asseruerit, quas ROMANI PONTIFICES censura confixerint, atque Hæreses notarint. Si id, inquit ego, fat esset, ut quispiam tanquam hæreticus jure merito traduci posset, Pars fore Catholicorum Scriptorum non modica hujusmodi insimulanda foret; quorum profecto non paucos recensere fas esset, (si illorum Opera diligentius scrutari quis vellet) clari utique nominis, & fama perçelebres; qui Propositiones, Systemata, Dogmata Scriptis, typisque consignarunt, quibus decursu temporis, re ad examen vocata, Censuræ probolis identidem titulis infartæ ab SEDE APOSTOLICA sunt inuictæ. Homines namque sumus, est Theologi; Erroribus nimirum quandoque obnoxii, vitiatæ Naturæ ignorantia misera laborantes, præjudiciisque fatalibus non semel præventi, ac sæpe penitus occupati: quo fit, ut pedem semper tuto figere minime valeamus; ibique nonnunquam labamur, ubi firmiores stare nos putabamus. Uni Christi Ecclesie, dilectissimæ Sponse, ejusque visibili Capiti ROMANO PONTIFICI a providissimo SPONSO in Fidei Dogmatibus stabilendis, explicandis, ac proponendis INFALLIBILITATIS Privilegium promissum est, atque collatum, ut loco suo, opitulante Deo, demonstrabimus: cæteros cacutire quoscumque necessum est, quantolibet polleant Ingenii acuminè, quantacumque Doctrinæ, ac Eruditionis præstantia antecellant: ut hinc Apostoli Monitum cuiusvis animo infixum æternum hæreere debeat. Non plus sapere, quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem: ad Rom. cap. 12.

TRACTATUS QUARTUS

DE

DEO HOMINE FACTO
DISPUTATIO PRIMA.

Adversus Hæreticos.

PRÆLECTIO PRIMA.

Varia Hæreticorum de Christo Systemata referuntur, ac confutantur.



Adversus Infideles; præsertim Judæos, qui Christo nostro nedum Divinitatem, verum etiam Messia adpromissi Sacris in Literis dignitatem, & Gloriam impie eripere contendunt, omni quo potuimus studio, alibi jam decertavimus. Alteram modo, Superis adventibus, Disputationem auspiciamus; ut quam peractam contra eos Incarnationem loco laudato Argumentis invictissimis demonstravimus, integram illam, suisque partibus absolutam adversus infusas Hæreticorum Cavillationes in præsentia stabiliamus, ac vindicemus. Quamobrem in Eos jam tandem arma convertimus, qui Incarnationem Divini Verbi vere quidem peractam nobiscum sponte fatentur; sed eam nihilominus inique mutant, deformant, impiisque blasphemis cumulant, dum Christum, quam Messiam Sacris Oraclis prænuclatæ cum Catholicis agnoscunt ac venerantur, suis tamen Titulis & Prærogativis defraudare impudentissime moliantur. Ut hanc potro spartam feliciter exequar, illos paucis recensere, suisque coloribus pingam, quibuscumque arma conferenda nobis erunt, satis subinde in sequenti Disputatione sacri Angelicæ Scholæ Adversariis.

Hæreticos itaque Dominicæ Incarnationis Integritatem impetentes duplici statim agmine sitos video; alios Christi Humanitatem, alios ejusdem Divinitatem, adversus licet Consiliis, pari tamen impietate oppugnant. Christum verum esse Hominem primus, quem sciam, inficiatus est Cerdon; cujus mentionem ingerit D. Augustinus Libro de Hæresib. Hæres. 21. Quo semel negato Fidei Capite, illud etiam colligebat, Christum simulatè tantum atque in speciem; non autem vere passum, ac mortuum esse. Eidem Errori, sequutis inde temporibus, sese alligarunt Procliantia, de quibus idem Augustinus Hæres. 60. Tum dein Apelles quidam, de quo Eusebius Lib. 5. Hæres. Eccl. Cap. 13. Valentinus, Priscillianista, aliique obscuro fati nominis Tenebriones, qui Christi Corpus non humanum, verique de Virgine efformatum prædicarunt, sed cælesti quadam subtili materia compactum, quod ad nos per Virginem, veluti per rimam ac fistulam venerit. Ab iis omnibus non procul abiisse putaverim Manichæos; qui Christo Corpus phantasticum tribuebant; quosque Augustinus variis Libris exagitavit, multoque sale defricuit.

In Christi Divinitatem non uno eodemque consilio pugnatum est; sed variis, prout maligno suo quisque Genio ducebatur, Erroribus venum in aciem. Christum verum quidem Hominem fassi sunt; sed eidem verum Deum, ejusdemque cum Eterno Patre substantia pernegarunt Ariani, eo nomine dicti ab Ario quodam Lybico Alexandrino, qui Sectam illam secundo Ecclesie sæculo a variis Tenebrionibus præformatam longe, lateque diffudit sæculo quarto. Triplex progressu temporis Ariarum factio constat est. Prima; eaque omnium princeps illa fuit, quæ Arii primigenium dogmâ, putantque illum blasphemiam propugnabat: Christum Dominum scilicet alterius a Patre Substantiæ eidemque plane dissimilem; atque ita in communem creaturarum ordinem ablegandum. Factio altera Semiariorum fuit; qui videlicet priorem blasphemiam temperantes Filium quidem Patri consubstantialem negabant; eidem tamen per omnia similem fatebantur. Tertia Ariarum impietatis Factio Accianorum dicta est, quod ejus princeps esset Accius Episcopus Cæsariensis. Ille scilicet Christum Dominum, quem Patri consubstantialem cum Arianis omnibus pernegabant, Patri tamen per omnia similem cum Semiarianis fatere detrectabant; sed ut ut maxime æternæ speciei similitudinem admittebant.

Nos igitur Arianos, eorumque vel Præformatores, vel Pedissequos non hic in censum vocabimus; qui ut æterno Dei Filio, Verbo a Patre genito, Divinitatem eriperunt, ita & Christum suo illo titulo defraudarunt. De iis quippe lato admodum sermone suo loco diximus, dum de Trinitatis Mytherio ex initrato disputavimus, nec non alio loco, ubi Ariarum æque ac Judæorum momenta contra Messia Divinitatem refutavimus. Sed illos duntaxat in judicium vocabimus, qui cum Eterno Dei Filio Divinitatem attribuerint, eandem tamen novo absurditatis genere Incarnato Dei Filio denegarunt. Ille quippe ad præsentem Disputationem intimius attinent, nostrique jam juris sunt.

In hunc censum computandi veniunt Eutychni Sæculo quinto tot inter sese dissidiis commisit, ut vix unum alteri consentientem invenias. In hoc quidem conspirat universi; quod duæ in Christo ante unionem Naturæ fuerint, post unionem autem unia. Ita quippe de iis scribit S. Flavianus in Epist. ad S. Leonem (apud Labbeum Tom. 4. pag. 774.) & ipse S. Leo Epist. 10. cap. 6. At vero qua sorte, quove pacto unica ex duabus Naturæ coaluerit, non a nos, eodemque modo definiunt. Nonnulli, ut legimus apud Theodoretum lib. 4. Hæres. Fabul. cap. ult., unam Naturam ex utraque coaluisse fabulantur, per conventionem Humanitatis in Divinitatem. Alii vice versa, de quibus scribit Gelasius lib. de

duabus Naturis contra Eutychetem, factum id arbitratur per conversionem Divinitatis in Humanitatem. Alii demum, quasi quid mellis suis fodalibus saperent, tertium nescio quid ex utraque Natura constatum commenti sunt, mutua veluti mixtione, ac confusione, ut nec Divinitas, nec Humanitas secundum proprias sui formas Christo inessent; eo plane modo, quo ex quatuor elementis corpora compinguntur, ut quid aliud inde succrescat, cedantque nativæ elementorum formæ, solaque illorum virtus maneat.

Tam infani, tamque impliciti erroris Architectum producit communiter Ecclesie Patres Eutychetem, Ecclesie Constantinopolitane presbyterum, ac Monasterii, nescio cuius, Abbatem. At præformatorum eum habuisse certum est, qui hoc idem ante illum deliravit; maxime vero Polemum integro seculo superiorem, cuius mentionem fecerunt S. Epiphanius in *Compendio Hæret. Fab. lib. 4. pag. 504.* Theodoretus *lib. 4. Hæret. Fab. pag. 439.* Hinc & multos Ecclesie Patres Eutychetis ætate Superiores legere est, qui errorem illum ex instituto confutarunt; ut Athanasius in *Epistola ad Episcopatum*, Cyrillus Alexandrinus *lib. de recta fide ad Theodosium*, & S. Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominice Sacramento cap. 6.* Quin & erunt fortasse, qui putent, primo ipso Christiani nominis Seculo eum errorem ex Inferis erupisse; quod illum data opera confutatum legant ab Dionysio Areopagita *Epist. 4. ad Cajum Monachum*. Verum cum Epistolam illam (extant in Bibliotheca Patrum Tom. I. pag. 159.) uti & alios sub Dionysii Areopagite nomine vulgatos libros spurios iudicent Criticæ Scientiæ Periti pene omnes, eosque Scriptori longe recentiori communiter tribuant, nullum inde Argumentum efficax peti potest ad primos Eutychianismi natales detegendos.

Cæterum, uti Præformatores, ita & Pedifsequos habuit Eutyches etiam postquam a Concilio Chalcedonensi damnatus est; Acephalos scilicet, qui uti Naturam Humanam in Divinam transformatam, conversamque commenti sunt, ita Naturam Divinam fuisse crucifixam somniarunt. Cui postremo errori Lutherus manus dedisse visus est *Lib. de Conciliis par. 2.*; palamque suffragati sunt ejusdem Lutheranae Sectæ combibones, Mulculus, & Schvvnexfeldius, uti multis ostendit Staphilus *Lib. de Concordia Discipulorum Lutheri*.

Ex imprudenti, & inconscia Hæreseos Eutychianæ confutatione nata est Hæresis Nestoriana. Nempe, ut distinctas in Christo Naturas tuerentur aliqui minus oculati, in extremas partes abiere; dualque in Christo Personas propugnarunt; cum ii minus intelligentia assequi possent, quo pacto cum Distinctione Naturarum itaret Personæ unitas. Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum hujusce Sectæ primipilum varios statuendi exponendique erroris modos, varios anfractus quæsisse, nec sibi in aperienda mente perpetuo consensisse scribitur quinti Seculi Tractatores: quæ omnia minutatim dispungere haud facile tentaremus; cum Nestorii Libri ad suum illum cadendum errorem elaborati flammis assumpti sint iuventibus Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus Ephesina Synodi precibus inclinat. Id tamen ex Actis Concilii Ephesini, & S. Cyrilli Leucrationibus colligere licet, Nestorium verba sua ita dextere composuisse; loquendi rationes, ac modos ita temperasse; ut eum non pauci Catholicum arbitarentur, dum hæreseos luto hæreret quam maxime. Unam enim Christi Personam frequentius vocitabat; at sub herba latebat anguis; & id nominis sensu prorsus hæretico usurpabat, unam in Christo Personam intelligens, unitate concordie, & affectus;

non veritate Suppositi; Unam, inquam, Christi Personam dicitabat: primo; propter inhabitationem Personæ Unius in altera; secundo; propter communionem Operationum; quatenus scilicet Persona creata Personæ Divinæ instrumentum esset; tertio; propter conjunctionem affectus; quod una alteri per omnia consentiret: quarto; propter communicationem Dignitatis, & honoris Divini, qui Personæ creatæ, tanquam Personæ Divinæ Templo tribueretur.

Jam quo fato ex imprudenti Eutychianæ Hæreseos impugnatione Nestoriana germinavit; ita ex incauta Hæreseos Nestoriana debellatione Monothelitarum Secta suborta est. Hinc, ut unam in Christo Personam adstruerent, Voluntatem unicam somniarunt; & vere utique somniarunt; cum si tantisper vigilassent, quam facillime compersissent, Voluntatem rationalis Naturæ Facultatem esse; atque ita (sepulta unius in Christo Personæ consideratione) tot in Christo Voluntates admitti oportere, quot in eo Naturæ conceduntur. Hujus Erroris primarii Duces extitisse referuntur seculo septimo Macharius Episcopus Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus; Monothelitæ ex Erroris nomenclatura nuncupati; sonat enim græce, monothelima, una voluntas. Quas clades in Ecclesiam ingulerit Monothelismus, vel hoc uno nosse licet, quod etiam veneranda Cælo Capita, Romanos Pontifices, si non in apertam protectionem Erroris, saltem in dissimulationem pertraxerit. Unde & in Actis sextæ, ac septimæ Synodi Œcumenicæ Honorio Romano Sedis Episcopo non secus, ac Sergio, & Cyro, anathema pronuntiatum legitur: quod tamen non ita accipiendum venit, ut re ipsa Hæreticus Honorius fuerit, sed Hæreticorum duntaxat (uti particularis Persona) ex imprudentia patronus, ac fautor. Hic itaque exhibitio errorem circa Christum specimine, ad eosdem errores consultandos accedo; & que veri Theologi partes sunt, statim suscipio. Primi igitur in ordine confutandi veniunt, qui Christo veram inesse Humanitatem inficiantur; quod quidem brevi in præsentii velitatione persiciam; majorem in cæterorum confutatione operam sequentibus Prælectionibus positurus.

Christo itaque veram inesse Humanitatem, corpus vere humanum, nec cælesti materia compactum, quadruplici Divinorum Oraculorum genere Ecclesie Patres demonstrarunt; quæ hic non tam referre, quam indigere satis erit. Primus eorum Oraculorum Elenchus est, quibus Christus ex Abrahâ, Jacobi, ac Davidis semine prognatus, nec non de Virgine natus, ejusque in utero conceptus dicitur *Genesis cap. 22. & Isaac 7. & Psal. 131. & Matth. 1. & Luca 1. & ad Rom. 1. & 9. & ad Gal. 3. & 4.*; alitque sexcentis plus minus locis. Quo pacto enim cælesti corpore in speciem humanam efformato, non vera humanitate consisteret ille, qui ab hominibus genus trahit, quique natus, conceptusque est?

Alter eorum Locorum Elenchus est, quibus Christum humanas affectiones persensisse liquet, ut tristitiam, *Matth. 26. & cepit contristari*; & tristis esse: pavorem & tædium, *Marci 14. & cepit pavere*; & tædere: famem, *Matth. 4. cum jejunasset*. . . . postea ejuravit: lassitudinem, *Joann. 4. fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*; quæ omnia neutiquam Christus Dominus persensisset, si fidereo corpore compactus esset.

Tertius eorumdem Locorum Elenchus est, quibus Christus humores habuisse perhibetur; ut sanguinem *Luca 22. & Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo*; Lacrymas, *Luca 19. & videns Civitatem flevit super illam*; salivam, *Joann. 9. & exivit in terram, & fecit lutum*. Ex quibus omnibus liquet, corpus vere humanum,

num, nec cælesti materia compactum, Christum habuisse.

Quartus eorumdem Locorum est, quibus Christus a mortuis redivivus verum corpus veraciter carnem habere se demonstravit; *Luca 24. & Palpat, & videt: quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Certe corpora fidere carnem, ut ossa non habent. Quare ultimo concludendum, Cerdonianos, Pròdianitas, Valentinianos, ac Priscillianistas a Sacris Litteris toto otio aberrasse; imo & a dilecto Discipulo Ananemate percussos esse, dicente illo, *Epist. I. Cap. 4. Omnia spiritus qui confiteatur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. & omnis spiritus, qui solvo Jesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus*.

Hinc nosse licet, quid sibi velit duo illa Scripturæ Loca, quibus ad suum obrudendum errorem illi abutebantur: Nimirum *1. ad Cor. 15.*; Ubi Apostolus Adami, & Christi antitheses ponens, *primus homo*, inquit, *de terra terrenus*; secundus homo *de Cælo Cælestis*, Unde Christi corpus materia cælesti compactum efficitur Valentinus. Et *ad Philip. 2.* Ubi Christus non tam homo, quam hominibus similis appellatur: *In similitudinem*, inquit, *hominum factus, & habitu inventus ut homo*: quasi externam tantum Humanitatis speciem habuisset. Quid hæc, inquam, Loca sibi velit, planum est. Christus siquidem cælestis Homo dicitur ab Apostolo aut propter Divinam Naturam Cælo delapsam, aut etiam propter Humanam Naturam cælesti Spiritus. Virtute in Virginis Utero formatam: non quod ex cælesti materia concretum Corpus haberet. Pariter in similitudinem hominum factus dicitur, absque veræ, & proprie Humanitatis injuria. Usitata quippe est Scripturæ phrasis, ut id etiam simile alicui nuncupetur, quod naturam, ac substantiam ejusdem cum illo rationis obtinet. Sic *Genesis 2.* de Heva dicitur: *faciamus ei adiutorium simile sibi*: cum tamen Heva ejusdem cum Adamo Naturæ fuisse nemo ambigat. Sic *Genesis cap. 5.*: *vixit autem Adam centum triginta annis*; & *genitrix ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth*: qui tamen verus, non secus ac Adam, homo erat. Quidni ergo verus Homo Christus Dominus fuerit, tametsi in similitudinem hominum factus ab Apostolo dicitur? Quod porro subjungit ibidem: *habitu inventus ut homo*; ac Scripturæ phrasim alludit; qua Christi Humanitas *Indumentum*, ac *Veluti Vestis* Divinitatis quadam Analogia nuncupatur; quia sicut vestis sine substantia hominis mutatione eum induit; ita Humanitas sine Divinitatis mutatione assumpta est. Hinc *Isaie 63.* *quare ergo rubrum est indumentum tuum*; Et initio ejusdem Capituli: *quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra*? Quæ sunt interrogationes de humanitate Christi fauciata, proprioque Sanguine in Passione rubricata.

In sequentibus graviorem in Eutychianos concenterationem Deo volente, vobisque faventibus auspiciabimur.

PRÆLECTIO II.

Contra Eutychianos dua in Christo natura propagantur.

Eutychianam Hæresim, cujus hæsterna luce in antehabita Exercitatione Systema peraburdum exponebamus, hodierna Prælectione confuturo id statim occurrit animo, quod a Viris eruditissimis observatum pridem, scriptoque traditum est; nullos tota retro Antiquitate Hæreseos Serry Tom. IV.

ticos inveniri, qui insana Paradoxa majoribus absurdus implicariat: ut plane in reprobum sensum traditi præ cæteris videantur Eutychiani; non modo sacris Litteris, Patribusque contrarii; verum etiam primis humana Philosophiæ Principiis, ac sibi ipsis palam, aperteque repugnantibus. In hoc ergo tota hæc nostra collinabit Exercitatio, ut hoc ipsum de illis merito adnotatum fuisse demonstremus.

Quod ubi semel in aperto fuerit, nemini dubium erit, Hæresim Eutychianam ab Ecclesia Catholica merito proscriptam esse, atque damnatam; quod unam in Christo Naturam effutirent: Seu id factum vellent Divinitatis, & Humanitatis promiscua confusione; seu alterius Naturæ in alteram conversione.

Ac primo quidem in comperto est apud omnes, Eutychianos Arianis, ac Valentinianis ex æquo infernos esse: hoc est Eutychianos Aterni Verbi Divinitatem agnovisse contra primos; Christumque vera carne præditum affirmasse contra secundos. Unde & nos ab iis profereudis superfedemus, quæ cumulate satis artulimus, ut Christum & verum Deum, & verum Hominem probaremus. Tam id in Eutychianos regere facile est; ut illos sibi metipsis, ac Scripturis repugnantibus demonstremus. Si etenim Naturam in Christo confusio facta est, ut in Humanam Divina conversa sit, jam non Deus, sed Homo purus Christus erit. Et contra: si in Divinam Humanam Naturam conversa est, jam non Homo, sed Deus duntaxat erit: ac tandem, si commixtio utriusque Naturæ facta dicitur, ut mutata Humanitatis, ac Divinitatis forma tertium quidpiam coaluerit, uti nonnullis Eutychianis visum est, Christus nec Deus, nec homo dicendus erit; uti plane corpus humanum, quod quatuor Elementorum commixtione concretum est, nec terram, nec aquam, nec ignem, nec aerem vocitamus; sed quod eorum omnium admixtione coaluit. Adeoque Christi Divinitas, & Humanitas tot Scripturarum Oraculis adversus Arianos, ac Valentinianos assertæ, ab Eutychianis re ipsa exploduntur; quamquam se illas admittere videri velint.

Scio responsuros illos, quod alias crambis instar recoctæ reponerent; nimirum in Christo, si minus post unionem, at saltem ante unionem, duas illas Naturas extitisse. At & hoc scio, nihil insulsum magis obrudi posse. Quomodo enim in Christo ante unionem duæ illæ Naturæ fuisse dicantur, cum ante Naturarum unionem nullus re ipsa Christus esset? Rectissime itaque S. Leo in *sta Epist. Synodica ad Flavianum* (apud Labbeum Tom. 4. pag. 1226.) in Concilio Chalcedonensi recepta, cum ea Eutychetis verba retulisset num. 6.: *Confiteor ex duabus Naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam Naturam confiteor*; eas voces tanquam absurdas, impias, & blasphemias inficitur; miraturque illam loquendi formulam ita facile in Eutychetis examine posthabitam, quasi nihil quod offenderet, esset auditum, cum tam impie (subdit SS. Pontifex) *duarum Naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicitur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, Natura in eo singulariter asseritur*.

Eutychianos non minus erroris revincit, quod sacris in Litteris non semel expresse est: imo quod solo Philosophiæ lumine nobis innotebit; nimirum Divinam Naturam nulli proflus esse obnoxiam mutationi: *Malach. 3.*: *Ego enim Dominus, & non moror*; & *Jacobi 1.* *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Porro Deum sua immutabilitate excidere necesse est, si quod

fi quod Eutychiani obtrudebant, veritate nitiur; Divinitatem scilicet in Humanitatem, aut e contrario Humanitatem in Divinitatem fuisse conversam; aut geminam Naturam in tertium quiddam coaluisse: fieri quippe non potest, ut nullo pacto mutetur illud, quod in aliud convertitur, aut in quod convertitur aliud.

Nunc vero, si SS. Patres Eutychete antiquiores consulamus, perfectum erit, eum novum in Ecclesiam Portentum intulisse; & a sacra Traditione, quæ alterum Fidei nostræ firmamentum est, toto ostio aberrasse. Non eos hic Ecclesiam Patres longo ordine numerabo, qui Christum & verum Deum, & verum Hominem extitisse tradiderunt; quamquam eorum Suffragio Eutychianus error commode confutetur: cum ex hoc uno colligere liceat, duas in Christo Naturas secundum distinctas sui formas extitisse: sed illorum tantum Suffragium advocabo, qui eam duarum Naturarum commixtionem, confusioneque singulariter oppugnavunt: eoque pacto Eutychianam Hæresim distinctius, & apertius, antequam Eutyches caput extolleret, confutarunt.

Prætulit eo in Cælo S. Athanasius in *Sermone de Annuntiatione*. Desipere post medium iniquens: Sanctificata igitur superventu Spiritus Sancti Virgo, & corroborata, & virtute Altissimi gravida cum gestabat, qui ex sua propria Essentia Dei erat Filius pro unica ejus Divinitatis Natura, & gignit eundem incarnatum, & Hominem factum, secundum duarum Naturarum proprietates: eundemque duplicem, & unum, ex duobus constantem, inconsulte, immutabiliter, atque indivisim credi oportere statuitur. Tum deinde, nonnullis interjectis: Deus interim perfectus, & Homo perfectus: unus ratione unus Persona, duplex tamen Natura. Quæ usque adeo clara sunt, ut nulla nostra commutatione egeant.

S. Basilus contra Eunomium lib. 1. pag. 28. nil minus eliquit rem conficit: Nam sicut, inquit, formam servi suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat: sic eum in forma Dei esse dicat (Apostolus) Divine Substantie ipsi profecto attestatur proprietatem. En tibi Naturas secundum proprias sui formas, atque proprietates.

Addipulatur Gregorius Nazianz. *Orat. in Christi Nativitate*. Missus quidem est, inquit, verum ut Homo (duplici enim Natura erat).

Sed luculentius, & apertius S. Cyrillus Alexandrinus in *Scholiis de Incarn. Unigeniti* cap. 24. pag. 74. : At vero, inquit, in Verbi Natura, & Humanitatis, solum nobis differentiam designat diversitas Naturarum. Unus ex utroque intelligitur Christus. Ergo inconfusione, ut ante dixi, servata inhabitasse Verbum, ait (dilectus Apostolus) in nobis. Sunt hæc profecto ita nuda contra Eutychianum errorem, ut mihi mirari subeat, potuisse errorem illum tam dilucide, antequam oriretur, exagitari.

Alexandrino dat manus Cyrillus alter Hierosolymitanus *Carthaginiensis* 4. cap. de Christo inquitens: neque ab alieno a Patre Filium: neque commixtionem faciens veritatis Filii Patrisque confusione quamdam credas.

Succedit S. Hilarius lib. 9. de Trinit. sub initium: Ipse (Christus) inquit, ex unitis in idipsum Naturis, Natura utriusque res eadem est: ista tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse Homo nascente desineret, & Homo rursum Deus non esset.

Claudet agmen S. Ambrosius libro de Incarnat. Domin. Sacram. cap. 6. : ubi postquam Arianos exagitavit, in Eutychianos jam caput extolentes sermonem convertit: Dum vos, inquit, redargui-

mus, emergunt illi, qui Carnem Domini, & Divinitatem dicunt unius esse Naturæ. Quæ tantum sacrilegium Inferna vomerunt: Cæteros atate superares, aut inferiores mitto lubens; S. Hieronymum in Cap. 55. : Isais: S. Augustinum lib. 1. de Trinit. cap. 7. : S. Gregorium Magnum lib. 15. Moralium in Cap. 28. Job, cap. 52. : S. Leonem Magnum Epistol. 97. ad Leonem Augustinum; S. Vigilium lib. 5. contra Eutychetam: Theodoretum in Dialogo Inconfusus; Gelasium lib. de duabus Naturis; quos omnes, si vacat, consilere licet.

Merito ergo uti Novatores, sacrarumque Litterarum, ac Divinæ Traditionis desertores Eutychiani proscripsi sunt primum in Concilio Chalcedonensi, quod ad eam Hæresim extripandam ex instituto coactum est; tum deinceps in Concilio Constantinopolitano II. Canonibus 2. 7. 8. 11. : subinde in Sexta Synodo Generali, quæ fuit Constantinopolitana III. *Actione* 4. ; ac demum in Concilio Romano sub Martino I. *Actione* 5. Canonibus 6. 7. 8. 9. & 10. Ut de Conciliis Nationalibus fideam, inter quæ potissimum referentur Hispaniense II. ex Hispaniæ Præsulibus congregatum Capite 13.

Restat, ut in præsentia perpendamus, quid tandem viros acutos moverit, ut tam absoum errorem obruderent. Qui Divinitatem in Humanitatem conversam in Christo fabulabantur, eo maxime nitentur argumento, quod Verbum Caro factum dicatur, Joan. 1. Hinc Verbum in Carquem mutatum colligebant, uti plane dum dicitur Joan. 2. : aquam vinum factam esse in Cana Galilee, sensus est, aquam mutata esse in vinum, non vino unitam.

Minus isto movebantur argumento Ecclesie Patres. Quamvis enim dum aqua vinum facta dicitur Joan. 2. eadem mutata in vinum intelligatur, consequens non est, ut eadem ubique sit hujusce vocis potestas; idque semper in aliud immutatum intelligatur, quod aliud factum esse dicitur. Quare id certissime statuendum, vocabulum factum, non semper transformationem denotare unius ad alterum; sed quandoque etiam accessionem unius ad alterum sine substantiæ mutatione; ut ferrum candens ignem factum dicimus, formæ substantialis ignis accessione, non ferri in ignem substantialis conversione. Quamquam nolum exemplum illud per omnia ad amissum insitio hinc nostro accommodari, quod nullum in Natura exemplum habet.

Cur autem aquam re ipsa in vinum transmutatam colligimus, dum eam vinum factam dixit Evangelista; Verbum tamen nequaquam transmutatum in Carnem existimamus, quamquam illud Carnem factum perinde dixerit? Prima philosophica ratio est, quia aqua est capax conversionis in vinum, præsertim Virtute Divina; Verbum autem, utpote incorruptibile, est incapax conversionis in Carnem. Secunda ex sacris Litteris delibata; quia ea subinde addit Evangelista, quæ veram aquæ in vinum transformationem juvant; nempe degustasse convivas, & vinum probasse: Contra vero, quæ subiungit Evangelista de Verbo, illud ipsum in sua Natura persistisse convincunt, solumque Carni unitum ostendunt: siquidem addit, Verbum in nobis habitasse plenum gratiæ, & veritatis; quod utique minus veritate niteretur, si converteretur in Carnem.

Addendum insuper, non unico Scripturæ contextui standum esse, dum phrasid subambigua est, variisque sensibus obnoxia; sed alios pariter consulendos ut mutua contextuum collatione, genuinus sensus expromatur. Jam quod his verbis ambiguus exprimit dilectus Discipulus: Verbum

caro

caro factum est; nitidus, omnemque difficultatem amoventibus verbis expressit Apostolus ad Philipp. 2. : formam servi accipiens, nempe (Humanitatem); & ad Hebræos 2. : semen Abrabe apprehendit. Cum certe non transmutari, sed manere omnino necesse sit eum, qui aliud quiddam apprehendit, & accipit. Perperam ergo in eo Joan. Evangelistæ testimonio erroris præsidium collocabant Eutychiani.

Ex Patribus nonnulla ardebant Eutychianum in sui præsidium erroris; atque ex iis maxime, qui ea ætate temporum Nestorianam hæresim debellarunt. Cum enim eodem illo Christiani nominis sæculo duæ Hæreses in extremas partes a-bentes grassarentur; Eutychiani scilicet, qui ut unam in Christo Personam astruerent, Unicam pariter Naturam obtrudebant; Nestoriani vice versa, qui ut Naturarum distinctionem tuerentur, Personarum quoque distinctionem asserbant; utraque errantium pars propitios sibi Patres jactabat, qui partem alteram oppugnant. Negotium aliquod suscepit in Concilio Chalcedonensi S. Cyrilli Nestorianorum debellatoris Auctoritas, qui in Eutychianos omnino declinasse visus erat. Eutychius enim Episcopus Berytenis *Actione* 1. contestatur est, a Cyrillo Afferentum esse, non oportere in Christo intelligi duas Naturas, sed unam Naturam Dei Verbi incarnatam. Nihil tamen ejusmodi quiddam in Cyrilli scriptis inventum est: quamquam si forte reperiretur, id ita intelligendum esse declaravit quinta Synodus (Ecumenica), ut duas Naturas Supposito distinctas, ac separatas duntaxat negaverit; quo sensu a Nestorianis, quos Cyrillus exagitabat, assererentur.

Non paucos etiam Patres in suas partes trahentibus Eutychiani, qui Divinitatem cum Humanitate mixtam dicitarent; maxime vero S. Cyprianum lib. de Varietate Idolorum dicentem: Carne Spiritu de cooperante induitur; Deus cum Homine miscetur: S. Gregorium Nyssenum in *Oratione de Sancta Christi Nativitate* dicentem, Deum humanam se immixtum Naturæ; contemptari humanam Naturam. Non absimilia habet S. Irenæus lib. 3. contra Hæreses c. 19. : ubi legitur: & qui Filius Dei est, Filius Hominis factus est, commixtus Verbo Dei.

Verum & illud mixtionis vocabulum anceps est: nec ita a Patribus illis accipitur, ut ab Eutychianis jactabatur. Equis enim nesciat, ea etiam mixta vocitari plerumque, quæ confocantur duntaxat, tamen minime confundantur. Hinc risum dolori misceri dicimus, dum risu luctui interponitur: hinc Regem populo misceri prædicamus, dum seposita maiestate, depositoque supercilio familiariter conversatur. Atque id unum intellexisse Patres certo constat, dum Deum cum Homine mixtum scriperent; unam scilicet Divinitatis cum Humanitate substantialem unionem, societatemque intellexerunt. Id usque adeo verum est, ut eam etiam mixtionis vocem usurparit Leo I. *Serm. 3. de Nativitate Christi* (ut legitur in Notis ad eundem Irenæi locum) ita scribens: nec sic Natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitaret, illa habitaculum esset; sed ita ut Natura alteri altera misceretur. Porro S. Leonem Eutychetis erroribus summe fuisse insensum, latet neminem. Imo Vigilium ipse lib. 1. contra Eutychetam, dum eum exagitat, eo utitur permutationis vocabulo inquitens: quis in tam abruptum erroris baratrum semetipsum injicit, ut Filium Dei sine sua propria carne, quam in Sacre Virginis Utero inessibili Societatis permutatione ita sibiimet adunavit, ut Verbum Homo, & Homo Deus, idemque unus, non mutatis Naturarum generibus feret, neget hodie sedere ad dexteram Patris?

Serry Tom. IV.

Opponi & illud fortasse poterit, quod in Symbolo, Athanasii nomine volitante, legitur: sicut Anima rationalis, & Caro unus est Homo; ita Deus, & Homo unus est Christus. Hinc quippe consequens esse videtur, ut una ex Divinitate, & Humanitate Natura coaluerit; uti ex Carne, & Anima, una in Homine Natura coalescit. Sed festivum profecto fuerit, Eutychianismum hujusce Symboli suffragio juvare velle, a quo tam discrete, tam aperte explosus est. Quid enim in Eutychianos luculentius, quam quod ibidem observamus? Unus est Christus; unus, inquam, non conversatione Divinitatis in Carnem, sed Assumptione Humanitatis in Deum: unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Quæ ergo ibi Animæ rationalis, & Carnis comparatio fertur, ut quo pacto ex iis unus Homo coalescit, ita & ex Divinitate, & Humanitate unus Christus coalescat, ad unius duntaxat in Christo Personæ veritatem adstruendam aptata est, non ad Naturæ singularitatem confirmandam; nisi velimus, Auctorem Symboli, quisquis tandem ille sit, sibimetipsi intra duas lineas tam oscitanter repugnasse.

Monstro vobis simillimum erit, quod ad Hæreseos Eutychianæ defensionem nostris demum temporibus profuderat auctoritas Clementis XI. sedentis nunc in Romana Sede Pontificis, quasi hanc ipsam Hæresim aperte traderit in *Homilia*, seu *Sermone* 3. de Christo resurgente, habito anno 1702. inter media Sacra die sancto Pasche; ubi loquitur in hæc verba: Hodie forma servi reversa est in formam Dei; ac inanis humilitatis, ad pristinae altitudinis rediit majestatem. Quæ de causa a nonnullis Theologis Lovaniensibus Hæreseos Eutychianæ infimulatus est. Cum enim perspicuum sit, Clementem XI. iis in verbis; hodie forma servi reversa est in formam Dei; alludere ad Oraculum illud Apostoli ad Philipp. 2. : qui cum in forma Dei esset, . . . semetipsum exinanivit formam servi accipiens; quod de utraque forma substantiali, seu de Natura ipsa tam Divina, quam Humana dubio procul intelligitur; existimatum est, Clementem quoque de substantiali forma, seu de Natura servi, nempe Homini dixisse, eam in substantialem formam, seu Naturam Dei fuisse reverteri; quod sine Eutychiana Hæresi dici non potest.

At quis eam Summi Pontificis mentem fuisse sibi persuadeat, ut Christo Domino resurgente, Humana illius Natura in Divinam revertere seu secundo conversa sit? Esto enim de utraque substantiali forma, seu Natura locutus sit Apostolus ad Philipp. 2. : Esto pariter ad locum illum Apostoli Clementis alluserit; Nullæ tamen Tropologie leges postulant, ut quoties simplex, ac nuda ad aliquod Scripturæ dictum allusio fit, in sermone potissimum oratorio, eodem semper sensu verba, quibus alluditur, accipiantur. Sic itaque potuit Clemens XI. ad Apostoli dictum de substantiali forma Dei, tum Homini forma alludens, de externa duntaxat, ac velut accidentaria tum Dei, tum Homini forma perorare; formamque servi in formam Dei reverteri dicere; id est, humiliem, abjectumque statum Humanitatis Christi Domini in sublimem, & gloriosum Divinitatis debitum resurgendo tranfisse. Quod quidem eo fidentius a Summo Pontifice dici potuit, quod id ipsum iidem omnino verbis scripserit Auditor celebris ac pervertutus lib. de Cardinalibus Operibus, *Serm. de Resurrectione Christi*, inter opera S. Cypriani; ex quo illa Clementis verba excerpta sunt.

Satis hodie contra Eutychianos decertatum: In sequentibus adversus Nestorianos de Christi Personæ unitate disputabimus.

Z 2

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Contra Nestorianos unica in Christo Persona defenditur.

Nestorianus error, qui nobis in præsentia rellendus venit, in eo, si bene meministis, situs erat, quod duplicem in Christo Personam Nestoriani ponerent, Divinam Unam, Humanam alteram; priorem in posteriori velut in templo habitantem; nulloque idcirco Substantiali nexu Unitam. Unde & illud consequens erat, alium prorsus in Christo Dei Filium nuncupari, alium Virginis Matris; hancque ipsam Virginem perpetram Desiparam vocitari, quasi quæ Deum minime peperisset, sed hominem tantum, in quo Deus Singulariter habitaret. Quapropter Nestorianos Matri non fecus, ac Filio injurios Ecclesiæ Patres passim appellant: Christum enim inique dividentes, Virginem quoque Matrem nobilissimo Desiparæ titulo defraudabant.

Errorum hunc tanto ardentius confutandum aggredimur, quanto certius nobis est, superesse etiam in Germania non paucos, qui illum secundo ex Inferis fuscitarint, Lutheri, atque Calvinii vestigia sequuti. Et quidem Lutherus in *concionione de Natali Domini*, & Calvinus *Lib. 1. Instructur. cap. 13.* inter Personam Filii Dei, & Personam Magistorum Discipulus, qui illos ipsos erroribus, atque impietate superavit, *lib. 2. de Trinitate* aperte negat, Christum Filium Hominis eundem esse qui Dei Filius in Sacris Litteris appellatur. In hoc igitur erroris Monumentum arma convertimus, ex Scripturis præsertim petita: quibus se stare cum veteres, tum recentiores Nestoriani gloriantur.

Quinque argumentorum genera huic Errori confutando suppeditat Scriptura Sacra: quæ tanquam quinque lapidibus de torrente a Davide selectis Goliathi frontem ferierunt. Primum istud esto: Christus juxta Scripturæ phrasim ita Deus, & Homo fuit, ut & Homo ille, qui Christus est, vere ac proprie fuerit Deus; & vicissim Deus ille vere, ac proprie fuerit Homo, nullo inter utrumque discrimine posito. Christum enim de se loquens uti de Homine cum hominibus conversante Deum se, Deique Filium vocat, *Joan. cap. 3. s. 8. 9.* At nisi secundum unam, eandemque Personam Deus esset, & Homo; falsæ omnino forent phrasæ illæ: ut enim hæc propositio: *Homo est Deus*: sua stet veritate, necesse est, substantialem quandam identitatem subjectum inter, & prædicatum reperiri, Hominem scilicet, & Deum; cum nomina Dei, & Hominis substantiam expriment. Cum ergo in Christo nulla Deum inter, & Hominem identitas in Natura sit, restat ut substantialis identitas in Persona reperiat, aut putida falsitatis assertiones illæ revincantur. Equo jure quæso, Deum se vocitasser Homo ille, si re ipsa substantialiter Deus non erat; sed Deum tantum in semetipso velut in templo habitantem habebat? Ita ne Templum Deus dicitur, aut Deus Templum?

Alterum ex Scripturis desumptum argumentum istud est. Nihil tam sæpe in novi Fœderis Instrumentis expressum est, quam Verbum Divinum incarnatum esse, factumque hominem: Non ergo secundum aliam Personam creatam, sed secundum illam ipsam Divinam quæ Verbum & Filius Dei

est, Christus est Homo. Ut enim albus non dicitur quis per eam albedinem, quæ in altera persona est, sed per eam, quæ in sua ipsius persona habet; ita neque Filius Dei Homo dicitur, & esse potest per Humanitatem in altera Persona existentem; neque Verbum incarnatum per carnem alterius Personæ. Una ergo in Christo Domino Dei, & Hominis Persona est.

Testium sic efferi potest: Scriptura ubique de Christo tamquam de una eademque Persona loquitur, singularitatis pronominia de illo ubique usurpat *Ego, hic, ille*: tam itaque factum est, duas in Christo Personas fecerere, quam in quovis altero homine. Imo in eum dilectus Apostolus anathema pronunciat, atque uti Antichristum traducit, qui Christum solvere auderet, *Epist. 1. Cor. cap. 4. omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*. Quid ni ergo Nestorium Antichristum vocitemus? Id enim maxime est Christum solvere duarum Naturarum in ipso vinculum tollere, quod est Personæ Unitas. Neque reponere juvat, in Exemplaribus Græcis, quæ modo extant, nequaquam legi: *qui solvit Jesum*; sed *qui non confiteretur Jesum*: fuerunt enim Exemplaria hæc olim ab Hæreticis violata, ut in *Historia tripartita Lib. 12. cap. 4.* notatur. Nec vero dubium est, quia olim ita legeretur: *qui solvit Jesum*; cum ita locum illum in Nestorianos contorserit Leo Magnus *Epist. 10. ad Flavianum cap. 5.* quæ in Concilio Chalcedonensi *Actione 5.* probata est.

Quartum momentum sic habet: Scriptura Christum hominem non per adoptionem, ut alios Sanctos, sed longe excellentiori modo Deum, ac Dei Filium vocat: porro si Homo Christus non ob alias rationes Deus Deique Filius diceretur, quam quas Nestorius assignabat; nempe quod Deus in illo velut in templo habitaret, omni substantiali unione seposita; nihil ille præ cæteris Sanctis haberet, eoque Dei titulo nullo potiori jure frueretur; cum & alii Sancti Dei quoque templa nuncupentur *1. Corinth. cap. 3. Nescitis, quia templum Dei estis?*

Quintum demum sic effertur: Christum Hominem adorandum Scriptura sacra non semel declarat; ad *Hebræos 1.*: *Cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: & adorant eum Omnes Angeli Dei: Et Psal. 98.* *Adorate Scabellum pedum ejus*; quod Scabelli nomine Humanitatem Patres pene omnes intelligunt. Cæterum nisi eadem omnino Persona, quæ Deus est, esset etiam Christus Homo, impie prorsus eandem illi, quam Deo tribuimus, adorationem exhiberemus, quantumcumque Dei templum diceretur esse: non enim idem honor templo, qui Deo, debetur. Hocque eo luculentius est Argumentum, quod Divinum honorem Christo Homini tribuendum Nestorius ipse fateretur.

Nunc tandem, si Patrum Suffragia, quibus in Antecessum error ille confutatus est, proferre ex integro velim, eaque etiam advocare, quæ hac ipsa, qua proditit, ætate dejectus est, verior, ne Patrum catalogum conficere necesse sit. Omnes enim ad unum in hujus Hæreos confutationem conspirasse video. Legi autem præ cæteris postune S. Irenæus *lib. 3. adversus Hæreses cap. 16. 17. 18. & 19.* S. Cyrillus Hierosolym. *Catechesis 11.*: S. Athanasius *De Incarnatione Verbi contra Samosatenum, & Epist. ad Epictetum circa finem*. S. Basilii *lib. 4. contra Eunomium super illa verba Dominus creavit me, Prov. 8.* S. Gregorius Nazianzenus *Epist. 1. ad Cledonium, quæ est oratio 51.*: Cyprianus *lib. 2. contra Judæos cap. 8.*, & *10.* S. Hilarius *lib. 9. de Trinit. nu. 3.*: Sanctus Ambrosius *lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 5.*: S. Augu-

stinus

stinus *lib. de Trinit. cap. 17.*: S. Hieronymus *Epist. ad Haldibiam quest. 9.* S. Gregorius Magnus *Hom. 16. & 38.* Quibus omnibus Scripturarum, & Patrum momentis Ecclesiæ Catholica innixa Nestorianam Hæresim anathemate proscriptis in Concilio Ephesino *Can. 2.*, & *4.* (apud Harduinum pag. 1194. & 1195.) in Concilio Chalcedonensi *Act. 5. in Definitione* post recitatum Constantinopolitanum Symbolum: In Constantinopolitano *II. Can. 4.* in Lateranensi *IV. Capitulo 1. de Fide Catholica*: in Constantinopolitano *III. Act. 4.*: ac tandem in Concilio Hispanensi *II. Capitulo 13.*

Restat in præsentia pendendum, quid Nestorianos ad suum illum cundum errorem adduxerit; ut hinc erroris vanitatem probemus magis; adeo scilicet futili fundamento nitentur. Palmarum, ut putabant, illud erat, quod ex secundo Joannis Capite desumptum est; ubi Christus de se ait: *Solvite templum hoc*: hinc scilicet colligebat Nestorius, Deum in Christo tamquam in templo habitasse, Cui Oraculo illud adjici potest ex *Epistola 2. ad Corinth. cap. 5. petium*: *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi*; quasi non tam Deus Christus esset, quam Deus in eo. At id quam ludicum esset, nemo non videt: Christus enim non Personam Humanam suam, quæ nulla erat, Divinitatis templum appellabat, sed Humanitatem suam, ubi Divinitas inhabitabat, juxta illud Apostoli ad *Coloss. 2. in ipso inhabitavit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Unde & continuo, quibus Nestorianum sentium occupans, Evangelista subjungit: *Ille autem dicebat de templo Corporis sui*. Corpus ergo, non Persona templum erat. Pari sensu, dum Deum in Christo fuisse scribit Paulus, de Christi Humanitate, aut Corpore venit intelligendus: vel si forte Christi nomine, in quo Deus fuerit, Personam ejus intelligi velit aliquis, quid verat, Deum Patrem eo Oraculo designari, qui in Christi Persona erat; ea videlicet mirabili unione, quam in tribus Personis Fides agnoscit, de qua Christus agebat, *Joan. cap. 14.*: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Ut nihil hinc Nestorianis extunderet liceat ad suum errorem obtegendum.*

Fucilius est, quod secundo loco Nestoriani opponebant; multa scilicet de Christo in Evangelio dicit, quæ ita Deo conveniunt, ut Homini convenire nequeant; ut quod ante Abraham, imo & ante Orbem conditus esset: alia vice verba quæ ita conveniant Homini, ut Deo convenire non possint; ut quod a Deo desertus esset, dum in Cruce pendulus exclamavit: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Unde duas Christo Personas inesse colligebant, ratione quarum, isthæc de eo prædicari possent. Sed & id perperam; cum abunde Naturarum distinctio sufficiat; per quam alteram, scilicet Humanam, quæ humana sunt, Christo conceleat; per alteram, nempe Divinam, quæ Dei sunt, eidem adjudicentur.

Majoris momenti videtur esse, quod ex Patrum auctoritate repeti posset Argumentum, apud quos frequens phrasim occurrit, Deum assumpsisse Hominem, aut Deum cum Homine unitum esse. Ita certe legere est apud S. Cyprianum *libro de Unitate Idolorum*; S. Hilarium *libro 9. de Trin. cap. 7.*; S. Augustinum *lib. de Agone Christiano cap. 31.*, *lib. de Pred. SS. cap. 15.*, *lib. 9. de Civit. Dei cap. 17. & 21.*; S. Leonem Magnum *epist. 11. ad Julianum*; S. Joannem Damascenum *lib. 3. de Fide Cap. 4.* Quin etiam in Concilio Toletano *1. 6. & 11.* Et certe, si rem penitus observemus, Homo concretum, ut loquuntur Dialectici, nomen est, subjectum una cum forma significans, atque adeo personam: si ergo Deus assumpsit Hominem, Personam huma-

nam assumpsisse necesse est; atque ita duas in Christo Personas extitisse fatendum erit.

Equidem, si ad exactam Dialecticæ limam phrasæ suas composuissent laudati Patres, minus eam loquendi rationem usurpassent; vocabulo quippe Homo stricto sensu accepto personam significari, comperta res est. Quocirca Fœlix I. Papa in *Epistola ad Maximum Episcopum, & Clericos Alexandria*, quæ in Synodo Chalcedonensi *Actione 1.* laudata est, ita scribit: *Nec enim Hominem assumpsit Dei Filius, ut esset alter præter ipsum: Sed Deus existens perfectus, factus est simul & Homo perfectus incarnatus ex Virgine*. Quibus verbis phrasim illam Deum assumpsit Hominem reprobasse videtur. Quare dicendum, Patres illos in Obiectione laudatos, misso Dialecticæ rigore, Hominis nomine Naturam realem, ac singularem, non Personam intellexisse. Ne quis vero putet hoc nostrum interpretamentum pro arbitrio confictum esse, ne tot verenda Cælo Capita Nestorianis concedamus; id unum notare juvat; illos scilicet ipsos, qui phrasim illam frequentius usurparunt: *Deus assumpsit Hominem*, in Nestorianos præcipue depugnasse; Personarumque distinctionem luculentius impetivisse. Unus instar omnium sit Augustinus, qui, licet Deum Hominem assumpsisse dixerit locis paulo ante laudatis; nihilominus *lib. 13. de Trinit. cap. 17.*: *Sic Deus inquit, conjungi potuit Humana Natura, ut ex duabus substantiis fieret una Persona*. Et *Tract. 27. in Joan. Commendari*, inquit, *charitati vestrae unam Personam esse Christum, Deum & Hominem, non duas; ne Fides vestra non sit Trinitas, sed Quaternitas*. Ut hinc videatis, non esse cur de ea phrasim a nonnullis Patribus usurpata Nestoriani gloriantur.

His ita statutis, & ab Hæreticorum cavillatione vindicatis, consequens est illud alterum, quod præsertim Nestoriani diffidebantur; Virginem scilicet Mariam, Dei Matrem, seu Desiparam nuncupari oportere. Ex quo enim unam Christo Personam asserimus, nempe Divinam, sequitur, Virginem hujusce Personæ Matrem vere dici, & esse; quia concipi, & nasci Personam tribuitur secundum naturam, in qua concipitur, atque nascitur: Persona autem Divina concepta, nataque est in Humana Natura ex Virgine, cum ab ipso Conceptionis diluculo Divinum Verbum Naturam illam assumpsisset; atque ita in Concilio Ephesino *canone 1.* sancitum est: *Si quis non confiteretur, Emmanuelem verum Deum esse, & ob id sanctam Virginem Desiparam... anathema sit*. Quam definitionem ex Divinis Litteris hausit sacra Synodus, ad *Galat. 4.*: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*: si enim Filius Dei ex muliere factus est, mulier igitur Dei Filii Mater est. Et *Luca 1.*: *Quod nactus est ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*.

Neque officit, si quis cavilleter, Virginem non genuisse Divinitatem, Charitumque non concepisse, ut in Divina Natura subsistit, sed in Humana. Et id quidem certissimum est: at ut Dei Mater vocetur & sit, satis est, ut in Humana Natura Personam generet, quæ Deus est. Persona quippe, juxta Philosophiæ decreta, Humanae generationis est terminus. Id generationis Vulgaris exemplo compertum sit; in qua certe rationalis anima a Matre minime gignitur; quamquam hæc simpliciter Mater hominis geniti nuncupetur: nemoque adeo ineptus cavillator inventus est, qui mulierem carnis, non item animam Matrem diceret; hujusque speciosa distinctio inculcanda; obtemperant mulierem hominis ex anima constantis Matrem esse disteretur: quia nimirum terminus generationis est homo ex anima, & corpore simul constans.

Ita

Ita insulse proflus, Virginem folius Humanitatis Christi Matrem diceret aliquis; cum sacra ejus generationis terminus Persona fuerit ex Humanitate; & Divinitate æque constans.

Nec itidem officit, si quis dixerit, Divinam Verbi Patris terminum esse generationis æterni Patris ante secula peracta; adeoque alterius generationis in tempore factæ terminum esse nequaquam posse. Reponimus enim, Verbi Divini Personam terminum esse Divinæ generationis pro ut est in Divina Natura subsistens; at Humanæ generationis terminum esse, ut in creata Natura subsistit. Neque vero repugnat, divinitus fieri posse, ut idem duplicis actionis generativæ sit terminus, ubi subiectum termini nempe Natura, duplex est; & ordo diversus: sicut minime repugnat, eundem effectum esse a duplici causa efficiente, ubi causatum ordo diversus est.

Die proxima Monothelitas, Deo volente, vobisque benigne audientibus, exagitabimus.

PRÆLECTIO IV.

Adversus Monothelitas duplex in Christo Voluntas asseritur, aliaque de duplici Christi appetitu, humaneque Corporis forma expenduntur.

Philosophos Hæreticorum Patriarchas esse, omnesque a Philosophia natas Hæreses, non semel queritur Tertullianus; quod eas ætate sua grassari Hæreses cerneret, quæ suam omnem ex Philosophia præsidium petebant. Eam ille, ut opinor, sententiam exiit, si ea florisset ætate temporum, quæ in Ecclesiâ Monothelitas grassabatur; quorum error non modo a Philosophia propugnatus non est; verum etiam contra Universam Philosophiæ principia, irato vel Aristotele, caput extrudit. Cum enim Eutichianos Monothelitas velut Hæreticos execerarentur, duasque in Christo Naturas ad ipsi explosas palam, aperteque prædicarent; Consequens plane erat, ut duas etiam in Christo Voluntates admitterent, si primis Philosophiæ Principiis imbuti fuissent. Quid enim tam tritum, tamque apud Philosophos pervulgatum, quam Naturam Humanam sine Humana voluntate stare non posse? Quid ipso Philosophiæ lumine tam exploratum, quam Naturæ Facultates Naturam proxime sequi, eisdemque indivise coherere? Et tamen, si Superis placet, unicam illi Voluntatem in Christo Domino propugnabatur, cum duas Naturas admitterent. Is ergo primus adversus Monothelitas infamiae ritulus esto, illos naturalis Philosophiæ lumen penitus extinxisse.

Jam vero quantum illi a Sacris Litteris, Ecclesiæque Traditione procul abierint, quod Theologici instituti maximum est, aggredimur demonstrandum; ut hoc novo telo impiam Hæresim configamus. Facit ad hoc, quod legitur Joan. 6. ubi Christus de se loquens: *Descendi de Celo*, inquit, *non ut faciam Voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris. Et Luca 22. Non mea Voluntas, sed tua fiat.* Quibus liquet, fuisse aliquam in Christo Voluntatem a Patris voluntate distinctam. Cæterum si Unicam in Christo Divinam Voluntatem admitteremus, nullam in eo invenire fas esset a Paterna Voluntate distinctam; cum certo certius sit, Divinam Christi Voluntatem eandem cum Paterna Voluntate proflus esse; uti una utriusque Natura est.

Accedit alterum nil minus in sacris Litteris expressum, Christum scilicet Humano Intellectu fuisse præditum: *Matth. 8. audiens autem Jesus miratus est.* Est porro admiratio, ut scitis, in-

tellectus, & quidem Humani affectio; Divino enim nihil creare admirationem potest. *Matth. 26. Caput contristari, & mæsus esse.* Tristitiam porro Humano Intellectus passionem esse, nemo desit. Ut quid ergo Voluntatem Humanam Christo negabimus, cui Intellectum Humanum adjudicamus? Sunt enim illæ cognatæ, & indivulsæ potentia; quarum neutra sine altera stare potest.

Idem de Anima rationali statuere facile est; ea scilicet Christum Dominum fuisse præditum: *Matth. 26. vultus est Anima mea usque ad mortem; Joan. 10. Animam meam pono pro ovibus meis. . . quia ego pono Animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Quin & hoc ipsum Monothelitas profitebantur, qui Apollinaritas pro Hæreticis habebant, quod Christum vera Anima præditum negarent, Verbumque Animæ vices obiiisset. Quis porro sano capite distitit, voluntatem rationalis Animæ facultatem esse; ut tam necesse sit aliam Animam, quam Voluntate exuere?

De Christi Libertate quid moror? non Divina modo, sed & Humana libertate donatum illum esse, fatebitur quisquis eum meruisse & nobis, & sibi non negaverit: siquidem Divina libertas nullius meriti capax est. Neque hoc ipsum Monothelitas distitit, qui Christum salutem nobis passione sua meruisse dicebant. Jam, inquit, qua sorte, ad merendum liber fuisset, si nulla Humana Voluntate præditus erat; cum libertas radicem in Intellectu, sedem in Voluntate positam habeat? Hinc compertum omnibus arbitror, quot secum absurda tulerit Hæresis illa, secundum quam & meritum, & libertatem, & intellectum, adhuc etiam & Animam Christo negare necessum est.

Non hic Patres longo ordine percensebo, qui eandem Hæresim antequam erumperet confutarent, ne actum reagere videar. Quotquot enim sunt a me appellati, dum Naturarum in Christo distinctionem contra Eutichianos probarem, in hujus quoque erroris confutationem conspirarunt. Quippe qui nedum Naturas, sed & Naturarum affectiones, proprietates, ac potentias geminatas propugnarunt. Quibus Ducibus Agatho Romanæ Ecclesiæ Pontifex Epistola 2. *Synodica Monothelitis Anathema pronuntiavit; duasque in Christo Voluntates asseruit.* Sexta vero Synodus Œcumenica *Actione 4.* his verbis sententiam tulit: *Unde consequenter, sicut duas Naturas, seu substantias, idest Deitatem, & Humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter, cum habere veraciter confitemur; ita quoque & duas naturales voluntates, & duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum, & perfectum Hominem, unum eundemque ipsum Dominum Jesum Christum Pietatis nos regula instruit.* (Apud Labb. Tom. 7. pag. 710.) Idcirco vero particulas illas indivise, incommutabiliter Decreto suo inferuit Sacra Synodus, ut varias illas operationes ab una eademque Persona Verbi proficiat significaret.

Videndum amodo, quid suis illis Mercurius aspirarit, ut tam absonum errorem obruderent. Hoc eis Achillis instat argumentum erat. Si stricto sensu ea accipi oporteret, quæ de duplici Voluntate Christi *Luca 22. & Matth. 26.* scripta sunt, nedum duas in eo Voluntates admitteremus, sed unam alteri repugnantem: dum enim inquit Christus: *non mea Voluntas, sed tua fiat: non sicut ego volo, sed sicut tu:* non modo duas, sed contrarias, secumque pugnantem Voluntates satis innuit. Quare ne in illud absurdum impingerent, con-

contrariasque Voluntates Christo affingerent, ea Scripturarum Oracula in figuratum sensum misere detorserunt.

Hoc opus igitur nobis, hic labor est in præsentia, ut ea demonstremus Scripturarum Oracula, tamen stricto sensu accepta, contrarias in Christo Voluntates nequaquam innuere: quo omnem Monothelitas obrudendi erroris occasionem eripiamus. Id porro ita conficimus.

Ut Voluntates contrariæ, ac repugnantem intelligantur, necesse est, eas dispare circa idem eadem ratione consideratum: nam si discrepent circa idem diversa spectatum, eæ contrariæ non erunt, ac repugnantem; cum etiam una, eademque Voluntas affectibus secundo illo modo discrepantibus agitari possit. Numquid enim unica in Mercatore voluntas est? Et tamen irato Neptuno jactatus merces projicere statuit, ut vitam tueatur; servare vult, ne lucrum amittat. Porro secundo illo modo, non primo discrepavit Voluntas Humana a Divina in Christo Domino. Alia quippe ratione passionem Voluntas Humana resugebat, alia Divina passionem optabat. Illa resugebat, ut naturæ inclinationi adversabatur; ista optabat, quatenus Humanae salutis, ac Divinae Justitiæ resarciendæ conferebat.

Idem ergo volebat, volebatque; sed idem alia, & alia ratione spectatum: idem, inquam, ut schola loquitur, materialiter, non formaliter. Non ergo contrariæ, sed diversæ in Christo Voluntates erant: una, quæ Verbi simul, ac Patris esset, nempe Divina; alia Hominis. Omnibus ergo cachinnis excipiendo veniunt Monothelitas; qui tam ludicro, tam elumbi fundamento stolidam Hæresim fabricati sunt; & eliquatissima Scripturarum Oracula, quibus Catholica veritas nitiatur, vitiantur. Consultius centum quinquaginta Patres in eadem sexta Synodo congregati in Symbolo, quod extrat apud (Labb. Tom. 7. pag. 1038.) Aq. 18. ita definiunt: *Credimus in unum Deum Patrem. . . Et duas naturales Voluntates non contrarias, abesse, juxta quod impij asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctentem, sed potius & subjunctam Divinae ejus, atque omnipotentem voluntati.*

Hinc facili interpretamento excipimus, quod habet Augustinus lib. 2. contra Maxim. cap. 20. *Quamquam & in hoc, quod ait, non quod ego volo; aliud se ostendisse voluit, quam Patrem.* Aliud scilicet voluit alia ratione spectatum; quatenus mortem a Patre redimendi Hominis causa desideratam, tamquam naturali inclinationi contrariam detestabatur; quamquam & illam eodem redimendi Hominis studio æque veller, ac Pater: Unde & addebat: *fiat voluntas tua: diserte vero Isaias cap. 53. oblatum est, inquit, quia ipse voluit.*

Erit fortasse, qui in Monothelitarum gratiam ea ipsa recoquat, quæ in sui patrociniū erroris Apollinaritæ regerebant; Deum scilicet non integram Naturam Humanam suis omnibus facultatibus præditam induisse, sed solam Humanitatis carnem sine Anima, atque ita sine Voluntate, rationali animæ indivulsam. Quod ut obruderent illud Joannis Oraculum detorquebant *Evangelii cap. 1. Verbum Caro factum est:* quasi nudam Carnem a Verbo assumptam dilectus Discipulus inuisset; Verbum vero Animæ vices obiiisset. Sed illos in Scripturis peregrinos esse oporteat, qui vim aliquam ea in vocula facere velint; cum nihil frequentius in Scripturis occurrat, quam Homo integer Carnis nomine designatus: *Genesis 6. Omnis Caro corrumperat viam suam: Luca cap. 3. Videbitis omnis Caro salutare Dei:* Roman. cap.

3. Non justificabitur omnis Caro coram illo: alii que sexcentis plus minus locis; ubi Carnis nomine totus, & integer Homo significatur.

His ita constitutis, consequens est, ut omnes in Christo Humanæ Naturæ partes, & appetitus ad Naturæ integritatem attingentes summo consensu statuamus. De appetitu irascibili, atque concupiscibili a nonnullis difficultatem moveri video; quasi quid in eis pravitatis esset, quod Christo adscribere scelus est. Sed illos horum appetituum naturam minus novisse certum est. Appetitus siquidem irascibilis nomine non eum intelligimus, qui iudicio, ac rationi prævalet, sed eum, qui sed ardua feratur, præluente rationis dictamine: si etenim secus agat, non appetitus naturæ, sed vitium est: hinc Regius Vates *irascimini, inquit, & nolite peccare:* satis his verbis innuens, justam aliquam iram esse posse; illam scilicet, quæ contra malum, contra peccatum inardescat. Ac re ipsa quidem sacro zelo, justaque ira accensus Christus flagellum & fusticulis fecit, & negotiarios templo exegit. Non ab similitudo nomine appetitus concupiscibilis non ille statim venit in mentem, qui excusio rationis jugo, laxis habenis in delectabilia propendit, ac fertur: is etenim ex originali peccato fructificavit; sed is intelligendus est, qui sensibilia ratione dirigente consecratur. Hinc Doctor Angelicus 1. 2. *quest. 85. art. 3. ad 3. Concupiscentia, inquit, in tantum est naturalis homini, in quantum subditur Rationi: quod non excedat limites Rationis, hoc est Homini contra Naturam.* Nihil ergo vetat hunc appetitum Christo tribuere; is tamen defectibus amotis, quos ex originali peccato derivatos esse certissimum est; non ex ipsa Hominis Naturæ proficisci: Nam & Adamum originali Innocentia præditum eo quoque appetitu valuisse, nemo hæctenus inficiari ausus est.

De Humani Corporis partibus nihil vacat hic dicere: nullus etenim fuit, qui Christum aliqua parte minutum commentus sit. De vulsus venustate moveri quæsitio possit, si veterum Patrum auctoritatem cum speciosa recentium quorundam pietate committere velim. Etenim veterum Patrum sententia fuit, Christum ex facie decorum, ac formosum minime fuisse: S. Irenæi Lib. 4. *adversus Hæreses cap. 33. Tertulliani Lib. 3. contra Marcionem cap. 14. Clementis Alexandrini Lib. 3. Pedagogi cap. 1. Basilii Hom. in Pfal. 34. ad vers. speciosus forma præ filiis hominum: Theodoretus in Pfalm. 44. S. Isidori in Pfalmum 44. Angustini in Pfalm. 43. 103. & tract. 9. in epist. 1. Joannis; D. Thomæ in pfal. 44. & in caput 53. Isaiæ. Unde & illud Pfal. 44. Oraculum. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis:* illudque: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere, & procede, & regna,* de spirituali dumtaxat Animæ pulchritudine intelligendum summo consensu SS. Patres definiunt: nec immerito, de ea quippe pulchritudine loquitur Regius Vates, cujus merito æternam benedictionem Christus obtinuit: *Speciosus forma, inquit, præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum.* Ita Veteres, ita Patres. Non defuit tamen hac ætate temporum, qui Sententia tot Sanctorum Patrum adimplatione manitæ genuinum sensum frangant; grandæque facinus, ac mortepiandum putent, si quis Christum facie venustum, formosumque negaverit: quasi id inficiari, impium esset. Pietatem laudo; sed velim maxime secundum scientiam esse. Interea id affirmare non dubitarim; ingentis levitatis esse, ne quid pejus dicam, Sententias a Patribus summo consensu*